


05 A 454

05

A

454





I. N. 7.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De
PERFECTIONE
JUSTITIÆ RE-
NATORUM.

Quam
CONSENTIENTE SUMME REVERENDO THEOLO-
GORUM COLLEGIO

In illustri ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO

Doctōris Theologi Consummatissimi
VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLIS-
SIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

SS. Theolog. Prof. Publ. celeberrimi, Alumnorum
Electoralium Ephori gravissimi &c.

DN. Patroni, Præceptoris, atq; Studiorum suorum
promotoris æternum devenerandi
publico placidoqve examini
submittit

WILHELMUS HENRICUS RODAZI,
Utino-Holsatus.

In Auditorio Majori ad d. Augusti A. M. DC. LXXXVII.

WITTENBERGÆ,
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.



OS A 454



I. N. J. C.

§. I.



In ullo articulo fidei Ortho-
doxia probè, atqve summa cum vigilantia
observanda est, utiqve in articulo de *justifica-*
tione nostra coram DEO maximè illa consi-
deranda venit, utpote hic articulus, ne mini-
mam quidem maculam patitur. *Ἀγὸς τοῦ* est
totius *Christiana religionis*, sicut libelli nostri
Symbolici testantur, & *B. Lutberus* in part. 2. *Schmalcald. Articul.*
graviter scribit: *De hoc articulo (justificationis) cedere aut aliquid*
Contra illum largiri, aut permittere nemo piorum potest, etiamsi cæ-
lum & terra, ac omnia corruant. Non enim est aliud Nomen ho-
minibus datum, per quod salvari possimus (inquit Petrus Act. 4.)
Et per vulnera ejus sanati sumus Esa. 53. Et in hoc articulo sita
sunt, & consistunt omnia, quæ contra Papam, Diabolum, & univer-
sam mundum in vita nostra docemus, testamur, & agimus. Qua-
re oportet nos de hac doctrina esse certos, & minime dubitare, alio-
quin actum est prorsus, & Papa, & Diabolus & omnia adversus
jus & victoriam contra nos obtinent.

§. II. Est autem nostra *justificatio* coram DEO in tota
actio DEI, quæ homini peccatori, verè in Christum credenti ex mera
gratia propter meritum Christi omnia peccata remittit, & ad vitam
æternam acceptat.

§. III. Solidissime enim *Spiritus S.* in verbo suo æterno nos
ita docet *Roman. 3. 28. Arbitramur hominem justificari per fidem*
sine operibus legis. Et Ephes. 2. 8. Gratiâ salvati estis per fidem,
& hoc non ex vobis Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorie-
tur, adde Gal. 2. 16. Phil. 3. 9.

A 2

§. IV

§ IV. Hinc in foro justificationis nostræ, *Bona opera* minime admittuntur, sed penitus, sive sint *antecedentia*, sive *presentia*, sive *consequentia*, excluduntur. Deus enim salvavit nos *non ex operibus nostris, sed ex gratia*, quæ data est nobis in Christo *ante tempora secularia*, 2. *Timoth.* 1. 9.

§ V. Ex quibus sine omni contradictione sequitur, *justificationis formam* non esse *justitiam inherentem*, ut quæ nobis inhaeret; sumus enim *naturâ filii iræ*. *Eph.* 2. 3. neque *justitiam infusam*, sed *imputatam*: attestante Apostolo *Rom.* 4. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.*

§ VI. Et licet hæc nostra *justificatio* sit *perfectissima*, & omnibus numeris *absolutissima*, ita ut homini peccatori, credenti in Christum, omnia sua peccata remittantur, & nihil damnabile in illis, qui sunt in Christo Jesu. *Roman.* 8. 1. attamen illa remissio non infert *totalem vitiositatis* peccatorum deletionem, quasi *radicitus* extinguerentur peccata ut de illis planè nihil maneat reliquum; magna enim inter *justificationem*, & *renovationem*, est differentia non *hac*, sed *illa* in hac vita *perfectissima* dicitur.

§ VII. Quare in justificatis, & verè renatis manet *Caro*, & *prava concupiscentia*, de qua anxie conqueritur Apostolus *Roman.* 7. 23. & 24. Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis.

§ VIII. Quibus præmissis articulus *de perfectione justitiae renatorum* fusius explicandum se exhibet, cum & in hac vita nobis ostendat, quales esse debeamus, & ad quam perfectionem in altera vita contendamus.

§ IX. Ut autem & ordine & ratione procedamus, imprimis expendendum, in quo *perfectio justitiae renatorum* consistat, *quare*, & *quor modis* illis tribuatur?

§ X. Ad hæc *Spiritus S.* in sacra scriptura respondet, quod illa perfectio sit primò *merè gratuita*, renatis per fidem in Christum *imputata*. Unde renati *justi*, & *perfecti* prædicantur, non quod justitiam obtineant à se, sed *ab alio*, nempe ipso Filio Dei, qui, ut *sanctus sanctorum*, semetipsum tradidit pro eis, & uni-

ca oblatione in aeternum perfecit sanctificandos. *Hebr. 10. 14.* in Filio DEI renati dicuntur *consummati* s. *πεπρωμένοι*. *Col. 2. 10.*

§. XI. Hæc scilicet *justitiâ Christi* per *fidem* induiti *sancti*, five *renati*, in iudicio Dei *justi*, & *perfecti*, non habentes rugam aut maculam, aut quicquam ejusmodi, censentur; sicut *Abraham* credidit DEO & hoc illud imputatum est ad justitiam. *Rom. 4. 3.* Et *Noah* factus est *heres justitiæ*, quæ per fidem est. *Hebr. 11. 7.*

§. XII. Deinde tribuitur *renatis perfectio* propter *integritatem*, & quatenus illa opponitur *hypocrisi*. Non enim verè renati, sicut *hypocrita ventosi*, ore tantum ad Deum accedunt, sed corde. *Matth. 15. 8.* Non sunt similes *sepulchris dealbatis*, quæ foris apparent speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum, omniqve spurcitie. *Matth. 23. 17. &c.* Multo minus se DEO suis operibus justos venditant, sicut *Phariseus* ille *Luc. 18. 11.* Sed toto, id est candido corde, exemplo *Josophati*, Deum quærun, eiqve sincerè, & non simulatè serviunt. Interim in *Oratione Dominica* semper orantes, *remitte nobis debita nostra.*

§. XIII. Ulteriùs *renati* dicuntur *perfecti comparatè*, scilicet in comparatione respectu impiorum inter quos *ὡς φωστῆρες* in hoc mundo lucent. *Phil. 2. 15.* Quo sensu *Noah* dicitur *justus*, & *perfectus* in suis *generationibus* *Genes. 6. 9.*

§. XIV. Et sic Christus suos discipulos vult esse perfectos, *comparatè*, nimirum respectu *Publicanorum*, qui tantum amicos suos diligebant, & beneficiis afficiebant; inimicos verò summo odio habebant. Vos autem, inquit salvator, *perfecti estote* (non habentes ejusmodi concisam, & mutilatam dilectionem, quæ tantummodo ad amicos sese proferat, sed dilectio vestra sese ad omnes homines, etiam inimicos vestros se exerat) ad imitationem Patris vestri coelestis, qui sinit solem suum oriri super bonos & malos *Matth. 5. 45 & seq.*

§. XV. Et hæc est *perfectio partium obedientiæ inchoatæ*, quæ fit citra *hypocrisin*, aperto corde, & simplici sinceritate. Quam *perfectiorem partium* scriptura sacra in hac imbecillitatè tantum admittit, cum *perfectiorem graduum*, quæ summo perfectiæ obedientiæ gradu secundum legem fieri debet, in hac vita nemo consequatur.

A ;

§. XVI

§. XVI. Et tandem verè *renati* dicuntur *perfecti relative* respectu scilicet *infirmorum*, quorum imbecillitates portare debent illi, qui firmi sunt, & non indulgere sibi ipsis. *Roman. 15. 1.* quam perfectionem D. *Paulus* prædicat de *Corinthiis* & DEO semper gratias agit pro illis de gratia, quæ data erat ipsis in Christo Jesu, quod in omnibus ditati per ipsum in omni sermone, & in omni cognitione & quod non desituantur in ullo dono 1. *Corinth. 1. 2.* Serio autem admonet, ne ullo modo essent offendiculo illis, qui infirmi erant. Quam perfectionem *Jacobus* requirit ab omnibus, cap. 1. 4. sitis perfecti & integri, ita, ut nihil vobis desit. *τέλειοι, καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι.*

§. XVII. Et hi sunt potissimi modi, quibus *Sancti*, vel *Renati*, in hac vita *perfecti, integri, immaculati, & inculpato* dicuntur, ex quibus primus tantum dominatur in foro *justificationis*, quod obedientia Christi justis, & Christo indutis omnia peccata, etiam tecta remissa, & in profundum Maris abjecta sunt, ita ut in memoriam Dei non veniant; & hæc est justitia fidei, quæ omnes quotquot unquam salvati sunt, per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvati sunt. *Act. 15. 11.*

§. XVIII. Quod si aliam justitiam, quæ in nostris operibus secundum legem factis, consistit, in hoc forum aliquis intrudere velit, in quo nihil, nisi quod perfectum, omnibus numeris absolutum, & divinæ justitiæ, ac voluntati, in lege expressæ, ad amissim respondens, admittitur, tum legis divinæ fulmine prosternitur, sicut scriptum est: *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Deut. 27. 26. Gal. 3. 10.*

§. XIX. Hanc sententiam, de *perfectione justitia renatorum*, orthodoxam, vera Ecclesia amplectitur, confitetur, & ex verbo divino defendit constanter.

§. XX. Impugnant verò usque in hodiernum diem illam, & contumaciter contradicunt illi, tum *Pontificii*, tum *Photiniani*, tum plures alii *Heretici*, de prioribus hic saltem aliquid proponemus.

§. XXI. *Pontificii* contendunt in *justificatione* homini non tantum ita remitti peccata, ut prorsus in ipso non sint, & ne quidem *originis* malum, ut inde *peccator* dici possit, sed etiam ejusmodi

modi illi *justitia habitum* per gratiam DEI infundi, ut in hac vita legem DEI perfectè impleat, & tam *perfecta justitia opera edat*, ut illis vitam aeternam promereatur.

§. XXII. Cum autem falso hoc dogmate doctrina *legis & Evangelii* enormiter corrumpatur, & frustra scripturæ dicta, quæ de perfectione & integritate renatorum loquuntur, impertinenter à Pontificiis adducantur, Orthodoxia hanc hæresin ex fundamento scripturæ propellere, & veritatem defendere seriò perhibet.

§. XXIII. Hallucinantur itaque primùm ex prædicta falsissima hypothese Pontificiis graviter, fingentes ejusmodi peccatorum remissionem, quæ ipsum peccatum radicitus è natura hominis in hac vita extirpetur, ut, quod reliquum est, non propriè peccatum, sed molli voce ad peccandum tantum *fomitens* dicendum arbitrentur, quo homo peccator denominari non debeat.

§. XXIV. Etsi enim peccata in *Justificatis* ita testata sunt, ut coram DEO ad damnationem ipsis non impurentur; & illi etiam, Spiritu Christi donati carnem cum suis concupiscentiis crucifigunt, ut ejus desideriis non obediant. Attamen ipsum Originis malum in eis actu manet, & pravæ concupiscentiæ in illis se movent, malæque cogitationes invitis surrepunt, de quo perpetua *carnis & Spiritus lucta* in renatis satis superque testatur; unde pravæ concupiscentiæ, & cogitationes verè peccata sunt. *Gal. 5. 17.*

§. XXV. Philosophi quidem peccatum non æstimant, nisi quod cum consensu fit & voluntarium est; Sed ostendit B. Chemnit. p. 1. L. C. de Peccato p. 197. maximam esse differentiam inter Politicorum, Philosophorum & Theologorum doctrinam de malis actionibus: Notum scribit, quod Leges politice tantum externa facta & conatus externos puniunt: Philosophi longius progrediuntur, & de ipsis affectibus etiam moderandis & frenandis disputant. Intra illas Philosophorum metas multi etiam ex Ecclesiasticis Scriptoribus doctrinam Ecclesiæ de peccato contraxerunt. Eæ adulteratâ doctrina de peccato secuti sunt inde corruptelæ Articuli de Beneficiis Filii DEI in Articulo Justificationis. Hinc demonstrat, quod maxime differant Philosophica & Theologica peccati conditio (1) ratione causæ Efficientis (2) Materialis (3) Formalis

malis (4) Finalis, quæ ibi legi possunt. Notandum igitur, quod Spiritus S. aliter iudicet de Peccato quam Philosophi confitente Apostolo. *Roman. 7. 14.* scimus, quod lex Spiritualis est, at ego carnalis sum, venditus *sub peccatum*. Non enim quod volo, hoc facio, sed quod odi, hoc facio. Nunc autem illud ego non petro sed *inhabitans in me peccatum*, & quæ ibi sequuntur.

§. XXVI. Hinc communis omnium sanctorum vox est. *1. Joh. 1. 8.* si dixerimus, Peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et iterum *v. 10.* si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, & verbum eius non est in nobis.

§. XXVII. Cui communi confessioni sub scribit vir ille secundum cor DEI verè renatus, *David Psal. 38. 4. 5.* non est integrum in carne mea. propter iram tuam, non est pax ossibus meis propter *peccatum meum*, quoniam *iniquitates meae* transferunt caput meum, sicut onus grave graviores sunt præ me.

§. XXVIII. Quem sequitur Propheta *Esaïas c. 6. 5.* Væ mihi, quia tacui nam vir pollutus labiis sum, & in medio populi polluti labiis habito.

§. XXIX. *Petrus* Christi Majestatem, & suam miseriam considerans; Discede, inquit, à me, Domine, quia homo peccator sum *Luc. 5. 8.*

§. XXX. In quam sententiam & Psaltes accinit: pro hac (remissione peccatorum) orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno *Psal. 32. 6.*

§. XXXI. Hi sanè spiritu mentis renovati fuerunt, & respectu fidei in Messiam coram DEO iusti dicti sunt, & tamen quotiescunqve coram severo DEI iudicio steterunt, malum quod in illis fuit reliquum, ut pravam concupiscentiam, cogitationes malos, variasqve infirmitates ad calculum revocarunt, & se peccatores agnoverunt; quod & ipsi *Pontificii* affirmant, cum quotidie precantur; *remitte nobis debita nostra.*

§. XXXII. Et dum *Pontificiorum* hic est error, & falsissima opinio, ut supra dictum, quod scilicet ejusmodi justitiæ habitus in hac vita sanctis infundatur, ut perfectè legem Dei implere possint, sic multò magis hoc nomine illos perfectos prædicant.

§. XXXIII.

§. XXXIII. Quis verò falsitatem non facile sentit? citra omnem controversiam certe verum, quod ubi peccatum adhuc in renovatis super est, ut solidè probatum, ibi perfectio, quam lex exigit, nullo modo detur; fatente Apostolo. Velle mihi adest, at perficere (*ναλὲξάξωθαι*) bonum, non reperio. Rom. 7. 18. propter quam imperfectionem universæ justitiæ nostræ sunt ut vestimentum inquinatum Esa. 64. 6. Perfectam autem legis impletionem habemus in Christo Jesu, qui perfectissima sua obedientia legem perfectè implevit Rom. 8. 3. cujus impletio credentibus vera fide ad justitiam imputatur. Rom. 10. 4.

§. XXXIV. Et licet renati in hâc corrupta natura legem Dei perfectè implere non possint, propterea tamen DEUS minime injustus est, ac si impossibilia præcepisset; repetit enim à nobis, quod suum est, & quod primis parentibus in primæva creatione, simul ac in illorum persona, posteris dedit. Sicut etiam nemo injustitiæ argui potest, qui à liberis creditam pecuniam exigit, quam parentibus mutuò dedit, quamvis parentes illam sua incuria dissipârint.

§. XXXV. Quapropter Pontificiorum ulterius effatum, quasi sancti tam perfecta justitiæ opera in hac vita edant, ut illis vitam æternam promereantur, minime consistere potest.

§. XXXVI. Generalis enim sententia est; Si lex data esset quæ vivificare posset, utiqve per legem esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Gal. 3. 21. 22.

§. XXXVII. Atque ideo cum ipse Apostolus per gratiam DEI plus operatus esset quam reliqui Apostoli, & ita vitam suam post conversionem, & illuminationem transegisset, ut nullius sibi conscius esset; attamen in hoc, ait, non sum justificatus. 1. Cor. 4.

§. XXXVIII. Et sanè *αὐτῶν* est hoc Pontificiorum dogmate sanctorum ejusmodi perfectione, quæ legi DEI exactè respondeat, cum, hac deficiente neminem de favore DEI, ac propria salute certum esse posse communiter doceant.

§. XXXIX. Lubricum sanè fundamentum in propriis meritis confidere. Verè credentes solùm Christo servatori, & ejus merito confidunt. Act. 4. 12. & c. 15. 11. & de salute sua minime

B

dubi-

dubitant; Quia promissiones Evangelicæ de remissione peccatorum, de perseverantia in fide, & consecutione vitæ æternæ sunt omnibus modis firmissimæ. Matth. 24. 35. Roman. 4. 16. Sunt juramento divino confirmatæ. Ezech. 33. 11. Joh. 5. 24. Sunt à spiritu sancto in cordibus piorum obsignatæ. Eph. 4. 30. 2. Corinth. 1. 21. sunt Sacramentis tanquam sigillis corroboratæ. Roman. 4. 11. 1. Pet. 3. 21. Ideo credentes certi esse possunt, & debent, quod neque mors neque vita &c. neque alia ulla creatura ipsos separare possit à dilectione, quæ est in Christo Jesu Rom. 8. 38.

§. XL. Et quod prorsus absurdum & detestandum est, Pontificii non tantum gloriantur de perfecta legis impletione, unde bona opera illis sunt *meritoria*, sed etiam de operibus *supererogationis*, quibus scilicet non tantum sibi salutem expeditius promerentur, sed aliis etiam illa ad promerendam eis vitam æternam, vendere conantur.

§. XLI. Testis ejus rei Bellarminus ipse lib. 2. de *Monachis* c. 13. *Possumus facere, plusquam debemus, si consideremus legem, à DEO nobis impositam, proinde possumus facere plus, quam revera teneamur Resp. ad X. Argum.* Verum in hac ipsa Respon- sione Bellarminiana fere tot sunt falsa, quot commata. Nam cum proposuisset ipsum 10. *argumentum* his verbis: *Ita sumus DEO obligati, ut non possumus unquam facere, quantum debemus, Ergo nunquam supererogamus. Antecedens patet; nam quicquid habemus boni, ab illo habemus: Ergo omnia nostra sunt ei debita: Et si millies pro DEO vitam ponemus, nunquam tamen reddemus ei aliquid æquale.*

§. XLII. Bellarminus respondet (1) *potuisse Deum à nobis exigere, quicquid possumus.* Verum omnia, quæ possumus, non ab alio, quam DEO habemus, cum à Deo sit ipsa natura nostra cum omnibus potentiis & viribus: nihil igitur possumus, quod à DEO nostro non sit: jam si vires omnes sunt à DEO, tendunt ad Deum, & ei potissimum debentur. Deinde cum ipsa creatione dedit omnes vires; sic igitur à prima creatione, & propter ipsam primam creationem nos DEO sumus obligati. Denique falsum, quod Deus saltem potuerit à nobis exigere, quicquid possumus: non tantum potuit exigere, sed ipso nos actu potius fecit obliga-
tos

tos, quia lex DEI nobis per naturam inscripta, per verbum DEI præscripta, quæ simpliciter universalem infert obligationem, eamque non potentialem, sed actuaalem.

§. XLIII. (2) *Non voluisse Deum à nobis exigere, quicquid possumus.* Verum Christus contrarium asserit Luc. XVII. 10. Omnia si feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quia fecimus ea, quæ debuimus: Deinde lex divina nihil aliud est, quam divinæ voluntatis nota, vel norma, quæ nobis indicat, quid velit, & nos ad voluntatis suæ placitum atque præscriptum normare contendit: jam verò lex universaliter in omnibus, non tantum quæ possumus, sed etiam quæ non possumus, & jure debemus, nos obligat. Falsum igitur, quod Deus à nobis exigere non voluerit omnia, quæcunque possumus.

§. XLIV. (3) *Ex divinis literis constare, Deum pro sua benignitate nobis imposuisse jugum suave & onus leve.* Verum male Bellarminus homines sine & cum Christo, extra & intra Christum confundit. Hæc verba non sunt Mosis, sed Christi, non legis, sed Evangelii Matth. XI. 28. Confundit igitur forum gratiæ, vel misericordiæ cum foro justitiæ, forum legis & Evangelii, homines & fideles. Deinde Matth. XI. 28. Christus verba facit de jugo non legis, sed crucis, de jugo non Mosis, sed Christi, dum ad crucis jugum passim Christianos remittit.

§. XLV. (4) *Probat hoc argumentum, nunquam hominem posse plus facere, quam debet, imò etiam nec quantum debet, si consideremus beneficia Dei nobis collata: nunquam enim ei reddemus æquale.* Verum sic habemus, quod volumus, cum beneficia Dei requirant à nobis officia: si proinde Deo non possumus æquale reddere, manifestum est, quod plura debeamus, quam solvere queamus. Semper igitur sumus, & manemus debitores. Deinde si plura debet homo, quam præstare, vel solvere valet, si præstare neutiqvam potest, quæ debet, sequitur, quod omnis supererogatio merum sit humanæ rationis commentum.

§. XLVI. (5) *Quod possimus facere plus, quam debemus, si consideremus legem à DEO nobis impositam.* Verum nos cum Jacobo, quod in multis omnes labamur c. III. 2. & quod is, qui totâ legem adimpleat, & in uno saltem delinquat, omnium reus fiat

e. II. hinc jugum importabile lex appellatur Act. XV. Deinde lex universalis est quoad omnes homines, & quoad omnia cogitata, dicta, facta, quoad omnes modos, omnia media &c. obligans: debemus igitur omnia per legem divinitus nobis impositam: quid igitur, vel in quo plus facere poterimus, quam debemus? Omnia si feceritis, dicite, serui sumus inutiles, quia fecimus, quæ debemus. Omnia, quæ possumus, debemus. Omnia, quæ debemus, non possumus. Quomodo proinde plus poterimus, quam debemus.

§. XLVII. (6) *Quod possumus facere plus, quam revera facere tenemur.* Verum sumus in omnibus Debitores Ergo pariter omnia facere tenemur. Plus certe neutiquam omnia transcendere, vel superare potest. Deinde *id* facere promanat ex potentia, potentia fluit ex essentia: Nos autem & essentiam & potentiam omnem, & energiam omnem Deo debemus, & quicquid possumus facere tenemur. Non igitur plus, quam tenemur, facere possumus.

§. XLVIII. (7) *Etsi non possumus superare aut aquare Dei beneficia nostris operibus, non propterea rei efficiamur, quia non tenemur id prestare, sed id solum, quod Deus imperavit.* Verum Deus nobis imperavit omnia, cum lex sit universalissima, mandavit omnia, quæ sunt pietatis, charitatis, honestatis, & respectu sui, proximi, & nostri: hæc omnia debemus ob Dei mandata, sed hæc omnia non possumus. Deinde falsum, quod Dei beneficia non obligent, cum ex regulis naturæ Beneficium obliget ad Officium: si dicitur hoc respectu benefactorum homini, multo magis ratione Benefactoris DEI concedendum & urgendum erit. Alia plurima l. d. Bellarminus affert tum falsa, tum absurda, quæ tamen hac vice tingere nolumus.

§. XLIX. Contumeliosum certè ingratiæ Dei, quâ salvamur. Eph. 2. 8. In meritum Christi quo justificamur Roman. 3. 24. & per se superba stultitia, alienis plumis se exornare; sunt enim bona opera non nostra, sed DEI, per Spiritum S. eadem in nobis operantis. 2. Cor. 3. 5. Nos non sumus idonei ad cogitandum bonum, velut ex nobis ipsis; sed quod idonei sumus, id ex Deo est. Unde 1. Cor. 4. 7. Quid habes, quod non acceperis? quod si venio accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis? Ergo omne bo-

num,

num, quod præstamus, non est nostrum meritum, sed nostrum debitum: jam verò debitum nec est, nec esse potest, nec juxta rei veritatem haberi debet meritum. Omne bonum non est nostrum bonum, sed DEI donum.

§. L. Suntque insuper omnia nostra bona opera imperfecta non tantum *gradibus*, quia etiam sanctissimorum opera sunt immundities Esa. 64. 6. Sed etiam *partibus*, quia multa bona omittimus, quæ lex jubet, & multa mala facimus, quæ lex prohibet. Semper enim caro concupiscit adversus Spiritum. Gal. 5. 17. Quare nemo de bonis suis operibus in quoquam gloriari audeat, sumus enim debitores, & nunquam DEO tantam gratitudinem, & obedientiam præstare possumus, quantum debemus, & sic semper manemus servi inutiles, Luc. 17. 10.

§. LI. Ex quo fundamento D. Lutherus affirmare non erubuit; *In omni opere bono justus peccat.* in asserto artic. 31. & declarat satis, artic. 32. Dicens; Opus bonum optime factum, est mortale peccatum scilicet, *secundum justum judicium DEI*, in quo nullus vivens justificabitur. Ps. 143. secundum judicium legis, quod cuncta rigorosius examinat, & severum judicium ratione justitiæ postulat: secundum judicium rei quemadmodum regula communis postulat: *Qualem te invenio, talem te judico*: jam omnia nostra bona opera sunt imperfecta, quia nos imperfecti sumus propter naturæ corruptionem. Corrupta causa corruptum, non integrum, imperfectum, non perfectum edit effectum, imperfectum opus: jam qui delinquit in uno, fit reus omnium Jacob. II. 10. Sic etiam omnis nostra justitia non munda sed immunda, quia secundum Esa. LXIV. 6. facti sumus, ut immundus OMNES, & quasi pannus menstruati universum justitiæ nostræ. Parum igitur est *involucras*, sed multum *divulvas* in operibus nostris bonis & sic pronunciatum B. Lutheri verissimum, cum à priori communiter fieri soleat determinatio.

§. LII. Et licet justus non peccet in omni opere bono mortaliter, scilicet, quod committat peccatum contra conscientiam; attamen peccat, & tale peccatum committit, quod in se hominem reum statuat mortis & damnationis æternæ, nisi Christi meritum, vera fide apprehensum interveniat.

§. LIII. Hoc autem facit omne peccatum, etiam minimum, quia est *ἀνομία* & illegalitas; omnis autem *ἀνομία* reatum, seu obligationem ad poenam secum importat. Eo ipso ergo quò deficimus in opere bono, simul peccamus, omnis enim defectus à lege DEI exorbitans peccatum est secundum illud Johannis 1. c. 3. 4. *ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία*. Quare si illi defectus coram DEO pro peccato haberi non debeant, necessum est, ut pallio meriti Christi tegantur, ne in conspectu DEI appareant, alioquin in se, & per se verè à rigore legis pro peccatis accusantur.

§. LIV. Relegentur itaque meritò hanc ficta sua justitiæ perfectione *Pontificii*, secundum quam statuunt, quod homini justificato ejusmodi justitiæ habitus per gratiam DEI infundatur, quò in hac vita legem DEI perfectè implere, & tam perfecta justitiæ opera edere possit, ut illis vitam æternam promereatur. Nos per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus servatum iri Act. 15. 11.

§. LV. Quemadmodum verò Pontificii orthodoxam de perfectione justitiæ renatorum sententiam in hunc usque diem impugnant; sic multis modis illis Photiniani quoad hoc doctrinæ caput assentiuntur maximè dum illis damnabile videatur, quod ceteris omisissis affirmemus, (1) *Renatos, licet Spiritu carnis facta occidant*, interdum *tamen labi posse*, & adhuc esse peccatores, & tales sua sponte se profiteantur. (2) Quod plerique omnes sanctissimi viri graviora, & alia sæpe repetita vitia commiserint.

§. LVI. Quam sententiam, ut orthodoxam, Nostrates ex sacris literis solidissimè probant, (1) ex *peccati universalitate*, de qua 1. Reg. 8. 46. Non est homo, qui non peccet, quod in genere de hominibus omnibus, sive renatis, sive non renatis; & de peccatis omnibus, sive infirmitatis, sive malitiæ, est intelligendum. Et Psalm. 14. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et hæc in Novo Testamento quoque Paulus repetit Rom. 3. 11. seqq. & multis confirmat, ubi nulla datur Renatorum exceptio.

§. LVII. (2) *Ex peccati tenacitate*; peccatum enim hominis Naturæ tam arctè cohæret, ut non nisi per mortem ab ea possit separari; nam ille demum, qui mortuus est, justificatus est à pecca-

peccato. Rom. 6. 3. in hac verò Mortalitate nemo à peccato prorsus potest liberari affirmante Apostolo. Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus verò adversus carnem, hæc autem alia, ne quæcunqve velit illa faciatis. Cui assentitur Apostolus Jacobus c. 3. 2. Omnes in multis labimur.

§. LVIII. *Ex Confessionis Sanctorum claritate*: quia David verbis disertis testatur Psal. 32. 6. quod pro remissione peccatorum ad Deum orare necessum habeat omnis Sanctus. Et hoc ipsa Oratio Dominica confirmat, quam omnes sancti quotidie quoad cultum pietatis adhibent & dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Johannes Apostolus certe non erubescit, de se, suisque collegis reliquis Apostolis & omnibus fidelibus asserere, Epist. 1. 8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: & iterum v. 10 si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem Deum facimus, & verbum ejus non est in nobis. Indefinite loquitur Apostolus ratione temporis; si proinde semper peccata habemus, nunquam perfecti sumus.

§. LIX. Quod satis superque exempla sanctissimorum demonstrant; ut exemplum Abrahami, qui non semel uxorem abnegavit, & poenè prostituit (2) exemplum Mosis, Ægyptium occidentis, ægrè DEO vocanti parentis, graviter murmurantis, petram bis percutientis. (3) Davidis homicidæ, adulteri, polygami, superbi in numeratione populi. (4) exemplum Petri, abnegantis Dominum, & Johannis fugientis. &c.

§. LX. Hæc omnia, licet Spiritus S. in verbo suo solidissimè pronunciaverit, *Sociniani* tamen contumeliosè se hisce opponunt, dum (1) effata Spiritus S. *quod non sit homo, qui non peccet*, sententiam perniciosam vocant, uti Smalcus Disput. 12. de causis pec. & pro fundamento affert; Cum peccare is etiam dici possit, qui interdum per imbecillitatem, aut ignorantiam impingit, licet peccati lege non sit captivatus, & is, qui antea peccavit, possit à peccato cessare, & deinceps *perfectè* Deo servire. &c.

§. LXI. Nos regerimus, esse falsum, quod loci adducti 1. Reg. 8. & Psalm. 14. De infirmitatibus loquantur, ex adjunctis enim satis constat, Davidem & Salomonem de talibus peccatis loqui,

loqui, quibus DEUS ad iram commovetur. Et licet essent peccata infirmitatis, tamen hæc infirmitatis peccata sunt vere peccata, quibus per se etiam Renati nil nisi poenam promereri dicuntur. Et hoc eò magis, quatenus in Renatis manet pronitas ad malum, quâ homo proclivis est ad peccandum, licet in nullam certæ speciei peccatorum consuetudinem inclinet. Nam & ille peccat, & frequenter peccare potest, qui per varia delictorum genera vagans, unius generis peccata frequenter non repetit, nec alicujus habitum acquirit. Item, qui externa peccata non sæpe perpetrat, sæpius tamen interna committit, quia & ea quæ sæpe non cogitantibus obrepunt, vera peccata sunt. Dantur etiam peccata Ignorantiæ sicut David inquit Psal. 19. 13. Delicta quis intelligit: quamvis autem delicta mox intelligat, tamen hæc non intellecta vel occulta delicta non esse munda, vel perfectione prædita, sed immunditie potius laborare & mundatione divina opus habere, statim verbis immediate sequentibus indicat, quando Deum rogat: Ab occultis munda me, Domine.

§. LXII. Pari modo falsum est, quid Sociniani inferunt ad dictum Gal. 5. 17. Quasi caro non esset in omnibus Christianis & concludunt, si ergò non adest, quomodo in illis luctetur? Et etiamsi esset in omnibus, & luctetur, non tamen dicitur, carnem semper, aut plerumque vincere, quod necesse est ad evincendum, homines Renatos, & ad Deum conversos peccatum iterare, peccatores esse, &c. Est enim mera petitio principii: dicitur, sed non probatur, carnem non esse in omnibus Renatis. Quod autem in illis verè sit, vel inde apparet, quia Apostolus ibidem loci indefinite agit de Galatis, tanquam Renatis. Non enim agit in abstracto de Spiritus & carnis lucta, sed pro ut illa in certis subjectis est, nimirum in hominibus regeneratis. Non ergò hoc solum vult dicere, quod ubi caro est, illic adversus spiritum concupiscat, sed quod in uno eodemque subjecto, hominibus naturâ carnalibus, & renascentiâ spiritualibus, talis lucta suboriatur: impossibile enim est, quod caro concupiscat adversus spiritum, nisi in uno homine Renato simul caro & Spiritus inveniantur. Videntur autem hic suam ignorantiam prodere Sociniani tum in scripturis, tum in hominibus ipsis. Nam juxta scripturam

Chri-

Christus ipse dicit: Quicquid ex carne natum est, caro est; quicquid ex Spiritu natum est, Spiritus est Joh. III. 6. Quilibet autem renatus est & Adami filius, secundum carnalem nativitatem, & Spiritus est, vel DEI Filius, quoad spiritualem regenerationem. Sed quamdiu renatus homo, tamdiu filius Adami. Homines autem dum sunt renati, nihil humani judicent à se prorsus alienum. Et certe, quicumque tantum renatorum semetipsum, suosque tum affectus, tum interiores motus considerare voluerit, non ad experimenta peregrina respicere necessum habebit, quia cor proprium, cogitationes propriae documentum certissimum exhibebunt. Valet enim apud renatos etiam universalis assertio Jehovæ, quod cor hominis tantum malum sit ab adolescentia, & omni tempore Gen. VI. 5. IIX. 21. quod ad minimum respectu loci posterioris valebit, quo nemo præter Noam, & uxorem, filios & nurus inter vivos extitit, qui renati fuerunt, aut esse potuerunt, cum Chaneus non adeo constanter inter renatos vixerit. Sed exemplum quavis exceptione majus suppeditat nobis ipse Paulus, quæ verba hæc Gal. V. 17. scripsit. Hic de semetipso dicit Rom. VII. 14. scimus, quia lex spiritualis est: Ego (NB) autem carnalis sum, venundatus (respectu carnis) sub peccato. Quod enim operor, non approbo. Non enim, quod volo, hoc ago, sed quododi malum, illud facio &c. Sic v. 18. Scio, quia non habitat in me, hoc est, IN CARNE mea, bonum: Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim, quod volo, bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Non equidem ignotæ sunt corruptelæ Socinianorum circa locum hunc, sed evidentia textus superat omnes corruptelas.

§. LXIII. Restat, ut videamus, quid Photiniani ad exempla sanctissimorum virorum proferant, & quidem de Abrahamo, quem super allato modo minimè peccasse statuunt, dicentes; quod Abraham nullo jure aut præcepto divino ad id confitendum, quod Sara uxor ejus esset, obligatus fuerit; & sic jure dicere potuerit, eam esse suam sororem (latè scilicet voce sororis acceptâ.) Deinde non constare, Abrahamum hac in re perpetuò hocisse, sed tantum cetero quodam tempore id eum fecisse.

§. LXIV. Respondent Nostrates; Abraham omninò peccasse censendus est, & quidem iteratò, satisque graviter; imò

C

pro-

mortaliter, dum contra mandatum Jehovæ falsum probavit de
Sara uxore testimonium, eamque sororem suam mentitus est,
dum ex diffidentia in Deum, quasi in terra aliena sine suo men-
dacio eum custodire non potuisset. Imò Abraham non solum
mentius est, sed etiam uxorem mentiri, & fallere docuit, cum
tamen hoc ipso in extremum adulterii periculum eam perduxit,
adeò, ut nisi divinitus, & quidem miraculosè Rex Gerar fuisset
prohibitus, matrimonium secundarium, pro more illorum tem-
porum, cum Sara certò certius inisset; ergo non parva, vel pau-
ca peccata sunt, quæ hic occurrunt. Neque verò homonymia
vocabuli sororis Abrahamum potuit excusare, bis enim pec-
cat, qui mendacium sub veri specie alteri studiosè obtudit.
Et licet non perpetuò in illo peccato hæserit Abrahamus, suf-
ficit tamen, quod post illustrem illuminationem quam habuit
à DEO, deliberato consilio illud perpetravit. Et sic non in-
firmitas, sed peccatum, quò Deus verè graviter offensus, & ad
pœnam commotus fuit, vocari meretur. Porro non ignotum est,
quod magnorum sanctorum etiam vel magni, vel ad minimum veri
fuerint lapsus. Posito proinde, quod Abraham nullo speciali
fuerit obligatus mandato, certum tamen, quod generale man-
datum in octavo præcepto comprehensum, ipsum obligaverit:
Non dices falsum testimonium, quod certe præceptum non hæc,
vel illa verba, non has, vel illas circumstantias, non has, vel illas
explicationes &c. respicit: sed generatim omnia, quæ sunt ve-
ritatis, & quocunque modo juxta divinam intentionem illam
vel promovere, vel stabilire possunt, necessario requirit. Non
excusandus est à peccato, scribit B. Dn. D. Calovius Comm. in
Genes. ad h. l. p. 932. Abraham, quia dicendo sororem intelligi
voluit, non esse uxorem vocemque Sororis in sensu famosiori
accipi, maxime quia antea jam carnale ejusmodi, & funestum
consilium susceperat, ideo Saram in periculum castitatis, ut &
Abimelechum in pænæ divinæ judicium conjecit. Metus præ-
posterus errorum in consiliis Mater. Sic p. 934. ad hoc Abraha-
mi factum respiciens Docum. 2. scribit: Fidelium sanctitas im-
perfecta est, nec sine peccatorum navis Psal. XXXII. 6. Sunt illi
quandoque nimium meticulosi, aut etiam nimium suspicaces.
Unde

Unde consilia nonnunquam captant absona & periculosa. Et quid dicendum erit, de Saræ dimissione, quod eam, tanquam sororem dimiserit, quod Abimelechum in consilio de Sara in uxorem ducenda suo silentio peccaminoso, vel intemptivo confirmavit, ut alia taceamus, quæ satis aperte tum errorem consilii tum peccatum missionis & silentii, tum peccatum commissionis & actualis dimissionis &c. in Abrahamo luculenter manifestant.

§. LXV. Mosis homicidium quod attinet, dicunt Sociniani, non prorsus constare, ab illo peccatum fuisse, sed potius divino impulsu id factum credibile esse. Deinde, unicum esse actum, & quidem heroicum, quem cum iteratione peccatorum nihil communicare, multò minus peccatum esse, quod agrè passus se sit remitti in Ægyptum, fecisse enim hoc, non animo pertinaci, sed conscius suæ ineptitudinis ad tantum munus, aliquantisper detrectasse: nec ullo modo peccasse Mosen murmurando adversus Deum, & bis petram cum dubitatione percutiendo, esse enim actus singulares, quibus absuit iteratio, & habitus.

§. LXVI. Verum notandum, quod ejusmodi singularibus, vel Heroicis exemplis Sociniani prorsus nihil in causa communi renatorum obtinere queant. Hic enim in genere de renatis agitur, & quidem tota vitæ renatorum obedientia, an illa sit perfecta, vel sua labore perfectione. Deinde facile largimur, quod multi Nostratum hoc Mosis factum excusent, neque male suam sententiam ex Actis & quidem verbis Stephanus probent. Hac de causa Lutherum ipsum producemus & unum ex Lutheranis. B. Luther. tom. 2. Altenb. p. 538. scribit in Expl. c. 2. Exod. Da erhebt sich nu eine Frage/ ob Moses recht gethan habe/ daß er den Egypter todgeschlagen hat? Aber ich lasse solche Frage in ihren Werth und Würden bleiben/ und halte es dafür er habe recht daran gethan/ und Moses weiß es auch selbst nicht anders/ und hält sich bey sich dafür er sündige nicht daran. Denn Er hat die 30. Jahr zugesehen/ wie sich dieß Volk unter den Egyptern leiden müste/ und gar keine Errettung fürhanden war. So hat er gehört von seinen Brüdern/ daß Gott ihrem Groß-

Water Abraham verheiffen hatte/ Er wolte das Jüdische Volck
heimsuchen/ erretten/ und auß dem Diensthause Egypten führen/
dargegen aber die Egypter straffen. An dieser Erlösung hat er
nicht gezweiffelt sondern gehofft/ die weil im Sprichwort gesa-
get wird: Wenn die Seite auffss höchste gespannt wird/ so
zerspringet sie gerne. Darumb der Egypter grausame Tyran-
nen wieder die Kinder Israel brechen/ und sein Ende gewinnen
würde/ dieweil sie auffss höchste kommen und getrieben wäre.
So hat ihm auch der Heil. Geist das Herz und den Muth gege-
ben/ daß er zuführet/ und den Egypter erschläget. Denn auß
Fleisches und Bluts Rachgierigkeit thut ers nicht/ sondern auß
des Heil. Geistes Treibung. Es ist in ihm ein Heroischer Gött-
licher Impetus. Denn Gott wolte den Mann Mosen darzu ge-
brauchen/ daß er solte der Kinder von Israel Hauptmann seyn/
und sie von Pharaone erlösen/ und zwar an dieser That solten die Kin-
der von Israel gleich ein Fürspiel oder Fürbilde haben / was
Gott durch den Mann Mosen an Pharaone und allen Egyptern
thun wolte/ nemlich daß er sie auch erwürgen und tödten wür-
de/ wie sie denn hernachmahls im rothen Meer alle ersoffen. Da-
rumb ist diser Todtschlag Moses eine besondere that: Gleich wie
Helias der Prophet zufuhre/ und die Baals Pfaffen/ zur Zeit des
Königes Achab in Israel alle todt schlug; Item Pinehas der Ho-
hepriester ein Messer nahm/ und den Israelitischen Mann er-
stach / der öffentliche Hurerey mit einem Midianischen Weibe
trieb. Aber diese sonderliche Thaten der grossen Wunderleute/
die auß besonderer Eingebung des Heil. Geistes geschehen/ soll
man nicht nachthun und wir können auch solches Exempel nicht
nachfolgen. Man muß den Wunderleuten Gottes ihre Heroische
Wunderthaten alleine lassen/ und nicht eine Folge oder Exempel
draus machen/ das jederman auch nachthun wolte/ sondern man
soll solche Thaten bleiben lassen. Es wäre denn/ daß man auch
den Heiligen Geist hätte/ als sie gehabt/ und solchen hohen Be-
ruff von Gott bekäme/ und man auch solche Uhrsache hätte als
sie gehabt. Sonst enthalte sich jeder vom todtschlagen denn der
Mord ist eine Sünde wieder das fünffte Geboth/ da Gott spricht:
du solt nicht tödten. Moses hatte für sich Gottes Wort/ daß
das

das Jüdische Volk sollte von den Egyptern errettet werden/und
daß Gott solches wolte durch ihn thun/wie denn S. Stephanus
in den Geschichten der Apostel am 7. Capittel solches zeuget / da
er spricht: Als Moses 40. Jahr alt war / steig es in sein Herz /
zu besehen seine Brüder die Kinder von Israel / und sahe einen
unrecht leiden / darüber halff er / und rächete den / dem Leide ge-
schah / und erschlug den Egypter. Er meinete aber seine Brü-
der soltens vernehmen / daß Gott durch seine Hand ihnen Heyl
gebe / aber sie vernahmens nicht. Und es solten sich die Hebreer
seine Brüder je daran gespiegelt und getröstet haben / wie sie
Gott von der Egypter Tyranny auch alle erretten würde. Ex
Lutheranis producimus B. Dn. D. Calovium in Bibl. Illust. ad h.l.
Num peccarit in eo, scil. homicidio, Moses, disquiritur? Pec-
casse nonnulli putant, quod privatus fuerit, & vindicti cupidi-
tate abreptus id fecerit, ideoque etiam meticulosus ea in rehus
illuc circumspexerit, an aliquis eum videret, & occisum abscon-
derit. Quibus annuit August. lib. 22. cont. Faust. Aranid. Con-
sulta æterna lege reperio, non debuisse hominem à Mose, qui
nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum &
improbum occidi: & Hilar. l. 5. de Trinit. qui affectu iid tribuit, &
quod nesciverit Moses Deum paternarum benedictionum esse
memorem: adde Occumenium in Epist. Judæ, qui tradit, Diabolū
in certamine cum Michaelē ipsi objecisse, Mosis corpus sepulturæ
indignum esse, quod Ægyptium interfecisset. Alii ab homine
privato quidem id factum dicunt, & citra extraordinarium im-
pulsus, sed absque peccato, sive, quod ex communi humanita-
tis officio id debuerit Moses, uti Ambros. l. 1. de Offic. c. 36. cen-
set, quoniam qui non repellit à socio injuriam, si potest, tam
est in vitio, quam ille, qui facit, sive quod cum moderamine in-
cubatae tutelæ Ægyptium occiderit, quæ est Thomæ sententia 2. 2.
q. 6. Act. 6. ad secundum, quo etiam inclinatur Burgensis, Cajetan.
ut & Toletus in Luc. 10. annotat. 27. quia tunc non erat judex,
qui posset injuriam avertere, & injuria erat præsens, nec moram
patiebatur; unde Mosis fuit subvenire. Sed quia nunquam id
vitio Mosis vertitur in scriptura, imò Protomartyr Stephanus à
DEO motum fuisse testatur Act. 7. 25. Existimabat autem intel-
lige-

ligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis, at illi non intellexerunt: ex conscientia vocationis suae, ad liberandum populum, id fecisse Moysen, dubitandum non est, & aperte dicit Stephanus: *ἐπιόντων ἐν δίκῃ* fecit vindictam: privatam autem vindictam non laudasset utique, haec enim legitime fieri non potest Rom. 12. 19. ideo ut persona publica auctoritate ad hoc facinus extraordinarie divino impulsu ad justam vindictam exercendam stipata considerari debet, ceu futurus liberator populi, quod utrumque manifestum est ex verbis Protomartyris. Exemplum ergo illud non fuit commune, sed prorsus singulare, quod ad admirationem proponitur, non ad imitationem, nisi eorum, qui eodem impellantur Spiritu. Hæc B. Calovius. Nihil igitur hoc exemplum extraordinarium, singulare, inimitabile, admirabile &c. juvat Socinianorum causam. Interim non desunt ex Nostratibus, qui probant argumentis neque nullis, neque levibus quod ipsum homicidium factum à Mose perpetratum non fuerit heroicum, sed tantum affectus commiserationis erga fratrem, qui fuit Israelita. Verùm hoc non obstat, quominus ex parte Moysis peccatum commissum sit; partim, quod tunc specialem vocationem ad liberandum fratres nondum habebat, partim, quod propter solam percussorem Israëlita Ægyptius ille occidi non merebatur, quare ipse quoque mala quasi conscientia hoc faciens, circumspicit, num quis sit, qui videat. In reliquis Moysis peccatis distingvendum est inter repetitionem peccati in genere, & repetitionem actuum unius specie peccati; Non hæc tantum, sed & illa verè damnabilis est; at illa quoad poenam æternam, remittitur Moysi, & hæc Israelitis, qui decies murmurant adversus Deum Num. 14. 22. ergò talia peccata iterant, & repetitione committunt, renati, quæ si non damnare debeant, remissione gratuita per Christum indigent.

LXVII. Davidis adulterium, & homicidium non adeò grave esse peccatum, affirmant Sociniani, ob hanc rationem, quia hic non fuit iteratio peccati, sed uno impetu factum esse utrumque. Polygamiam tunc temporis pro peccato censi non potuisse, Deum enim Davidi concubinas concessisse. Ego dedi uxores Domini tui (Saulis) in sinu tuo 2. Sam. 12. 8. Numerationem

nem populi pro peccato quidem haberi posse, si consideratur Persona ejus, qui id fecit, nempe Rex & Propheta. Aliàs nullum peccatum dici posse restante Scripturâ; Davidem fecisse, quod rectum erat in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus, quæ præceperat, excepto facto Uriæ Hetthæi.

LXVIII. Speciosa quidem hæc sunt, ac verò futilia, & ad hanc causam potius inutilia: non enim levia nec pauca Davidis delicta sunt, sed potius vitiositate gravissima, multitudine plurima. Quot enim peccata in adulterio, & homicidio Davidis concurrunt? Nullo modo enim illud unum peccatum est, quia homicidium contra quintum, adulterium verò contra sextum præceptum commissum est. Neque fuerunt hæc peccata simplicia, sed multis magnisque peccatis cumulata. Non opus est hic conjecturis, sed illa patent aperte satis ex manifestis scripturæ verbis. Nam adulterium Davidis Spiritus Sanctus operosè multis verbis descripsit, ut ostenderet & tractum temporis, & cumulum variorum peccatorum, & usum multorum mediocrum & scandalum multorum hominum & alia turpissimum adulterium exaggerantia. Sic enim historia turpis adulterii legitur II. Sam. XI. 2. seqq. Accidit quadam die, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambulare in solario domus regis, viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde: stupit ergo Rex, & requisivit. quæ esset mulier. Nunciatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabe, filia Eliam, uxor Uriæ Hetthæi: missis itaque David nunciis, tulit eam, quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea; statimque sanctificata est ab immunditie sua & reversa est in domum suam concepto fætu. Mittensque nunciavit David, & ait concepi. Si quis hic Catalogum vitiorum & scandalorum colligere vellet, ingentem certè numerum conficere posset, qualia sunt, otium reprehensibile, Neglectus officii regii, & reipublicæ administrationis, illicitus pulchræ mulieris aspectus, inordinatus cupiditatis affectus, lascivus appetitus, regiorum ministrorum abusus, dum ultro citroque in hac tam scandalosa causa missi, ad hanc rem turpissimam adhibiti &c. Homicidium autem longe prolixioribus

ribus verbis Spiritus Sanctus introduxit à v. 6. usque ad v. 27. quæ narrata scandalosis consiliis, attentatis, & facinoribus plenissima sunt. Jure proinde dixit Nathan. c. XII. 9. Tu es ille vir (scil. mortis ex Judicio tuo), qui fecisti hanc rem. Item v. 9. Quare contempsisti Verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo, Uriam Hetthæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, eum interfecisti cum gladio filiorum Ammon &c. v. 14. Quia blasphemare fecisti inimicos Nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur. Hoc igitur Davidis adulterium minimè cum Polygamia vel conjungendum, vel confundendum. Quod attinet ipsam Polygamiam hæc in Veteri Testamento non permessa fuit à Deo, sed tolerata, nec idcirco peccatum esse desit, cum expressè testetur Deus apud Malachiam c. 2. 14. Sacerdotes gravius peccasse Polygamiâ, quàm in repudiis uxorum. Quod verò textum 2. Sam. 12. 8. de Davidis Polygamia attinet, non probat Propheta Nathan Deo placuisse Polygamiam, sed Davidis fortunam, in traditione concubinarum Saulis exaggerat, quæ tamen ipsi Davidi traditæ sunt non in conjugium ad illicitum & incestuosum concubitum, sed in dominium & ministeriale servitium. Numeratio quoque populi fuit grave peccatum, sicut in historia expressis verbis dicitur. Valde peccasse 2. Sam. 24. 20. unde etiam tam gravis consecuta fuit pœna. Et licet in hoc vel illo peccato Davidis non inveniat iteratio, sufficit, dari iterationem plurium diversorum & gravissimorum peccatorum. Egregia certè foret reuatorum perfectio, quæ cuncta scelera gravissima transire & semel tantum committere velle.

LXIX. De lapsu, & abnegatione Petri Sociniani non tantum leviter, sed eum blasphemia loquuntur, affirmantes. Petrus cum Dominum abnegavit, adhuc erat in sua magna ignorantia, & infirmitate, hoc dum verus Christi discipulus, qualis postea extitit, cum ei, & aliis datus est Spiritus S. de cœlo, quo perfusi, Christi religionem verè demum intellexerunt & secundum eam vivere cœperunt. Imo dicam, ait Socinianus, Petrus Dominum abnegavit ter, non ex malitia, sed ex DEI voluntate, qui

qui hanc abnegationem loco poenae ipsi imposuerat. Smalcus
contra Franzium Disp. 9. de Hypocritis.

LXX. Solidam hinc responsum dat ipse Spiritus S. cum
Petri multifaria peccata hinc inde recenset, ut Matt. 16. 22. c. 26. 70.
Act. 10. 17. Gal. 2. 11. Nec est, quod Smalcus dicat, nondum
tunc Petrum fuisse verum Christi Apostolum, ut postea extiterit;
nobis enim sufficit, quod fuerit Renatus, & nihilominus tot pec-
cati actus gravissimos commiserit. Mature ille illuminatus fuit,
Matth. 10. 2. & suam de Christo confessionem edidit præclaram,
Matth. 16. 16. Postquam Christus ipsum beatum prædicat, &
revelationem ac illuminationem tribuit dicens: Beatus es Si-
mon Barjona, quia caro & sanguis tibi non revelavit, sed Pater
meus, qui in caelis est. Quamvis autem majora & pleniora do-
na acceperit post resurrectionem Christi, Joh. 20. 21. Et omni-
um maxima in Pentecoste: tamen hæc, ut extraordinaria non
magis ut prima regeneratio ab errore vitæ eum eximere non po-
tuerunt; sed potius tantum ab errore doctrinæ ipsum, ut Apo-
stolum, & quæ talem, vindicarunt. Quod verò Socinus affir-
mat, Petrum ex voluntate Domini abnegasse Christum, id dictum
impium, & sacræ Scripturæ contrarium est, siquidem abnega-
tionem sui satis graviter ante passionem ipse reprehenderat. Nec
verum est, quod semel tantum Petrus Christum abnegaverit,
quin imo tribus vicibus hoc factum esse, & plura delicta con-
currisset, textus ibidem clarè testatur. Non igitur Petrus diver-
sarum tantum specierum peccata commisit, & sic peccatum
quoad genus actus repetivit, sed etiam ejusdem actus peccatum
reiteravit, & eundem specie actum peccati trina vice incurrit.

LXXI. Superest denique fuga Johannis à Domino Jesu,
de qua Socinus ait; hæc fuga, in stante agone, mera erat infir-
mitas, eoque ipso Deo olim prædicta his verbis: percutiam Pa-
storem, & dispergentur oves. Et quod caput rei est, semel id
tantum accidit.

LXXII. Ad quæ brevis sufficiat responsio. Fuga Johan-
nis non tantum fuit grave peccatum, sed etiam peccati habitum
omniò conjunctum habuit, illum scilicet inveteratum erro-
rem de regno Christi terreno, quem etiam prodidit ille cum Fra-

D

tre

tre Jacobo in petitione sessionis ad dextram, & sinistram Christi, Matth. 20. 20.

LXXIII. Stet ergò sententia nostra; Sanctissimos plerosq; graviter soepius deliquisse; & per consequens etiam conversos non tantum infirmitates carnis incurrere, sed etiam, varia sæpè, & multa peccata enormia, quin etiam interdum peccati habitum admittere, quantumvis id meritò omnibus modis præcavere deberent.

LXXIV. Notent hæc omnia probè hodierni Pharisei, & ventosi Hypocritæ, qui de sua plenaria perfectione, & singulari illuminatione vel Thraasonum more gloriantur. Perfectionem in hoc seculo, vel etiam in hac imperfectione nec obtinemus, nec possidemus. Voti res est, non spei. Videmus nunc, inquit Paulus I. Cor. XIII. 12. per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Nunc cognosco (multo magis operor) EX PARTE, tunc autem cognoscam, sicut ac cognitus sum. Nescit Dei legem, nescit Deum ipsum eiusque perfectam voluntatem, maximè verò nescit seipsum, corruptionis suæ statum, & multiplex suum peccatum qui sibi placet in perfectione sua, quæ tamen rectiùs dicitur Imperfectio. Rectiùs Paulus iudicat, Rom. VII. 21. Invenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix Ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ubi Gloss. Margin. addit: Mortem vocat h. l. miseras & labores in pugna cum peccato &c. Si pugna cum peccato datur in renatis, certe peccatum neutrumquam exulat ab illis. Vana proinde persuasio nostra in imperfecta Perfectione. Desinant Imperfecti somniare perfectionem, peccatores & ἀνομιαν sibi tribuere perfectam ἐννομίαν. Optamus illis veram illuminationem, debitam εὐαγγελιστίαν & sinceram fidei perfectionem, ne falsa imaginatione se ipsos decipiant & in persuasione perfectionis cum Pharisæo. Luc. XIX. beneficio veræ justificationis excidant.

LXXV.

L X X V. Frustra enim cum Photinianis objeiciunt illud Paulinum Phil. IV. 13. Omnia valeo in Christo, qui me corroborat. Loquitur enim ibidem Apostolus non de peccando, vel de non peccando, sed hoc tantum vult, se omnia posse, sive quoad esuritionem, sive quoad satietatem; & sic minimè ulterius est extendendus hic locus contra mentem Apostoli, contra sensum verborum, contra antecedentia & consequentia contextus. Deinde facile largimur, quod etiam Papistæ cum aliis locum hunc ad perfectionem operum vel etiam renatorum trahant, quemadmodum Becanus in Manuali suo inde colligit, legem nos servare posse; Salmeron ad h. l. quod resistere possimus in tentationibus: alii Papistarum quod Sacerdotes continere possint: alii aliter, quæ tamen omnia tendunt eò, ut perfectionem nostram stabiliant. Verum non agitur hic de Monachis, vel Sacerdotibus, aut aliis Clericis, & eorum continentia, quid videl. illi sive possint, sive non possint: Sic etiam hic non de Spiritualibus tentationibus, ex viribus nostris ad resistendam necessariis: nec agit Paulus hoc loco de lege, vel ejus impletione: sed potius prout contextus docet, agit de *autarqneia* vitæ suæ tum in rebus prosperis tum in adversis, sicut totus contextus indicat: Gavisus sum in Domino, scribit, vehementer, quoniam tandem aliquando refloruisse pro me sentire, sicut & sentiebatis; occupati autem eratis: Non quasi propter pecuniam dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse: Scio & humiliari, scio & abundare, ubique & in omnibus institutus sum & satiari, & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Licet autem hoc dicat Paulus; tamen illud non ratione sui, sed ratione Christi, non ratione suarum virium, sed ratione veræ fidei, non ratione suæ perfectionis inhæsiivæ, sed ratione perfectionis imputatæ, non ratione propriæ vel conditionis & operationis: sed ratione spiritualis unionis & Christi in ipso salutariter operantis intelligit. Ad alia quidem accommodat Bernhardus Serm. LXXXV. in Canticum, scribens hunc in modum: Quidni omnia possibilis sint innitenti ei, qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox, omnia possum in eo, qui me confortat? Nil omnipotentiam verbi gloriosiore

fiorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Deniq; omnia possibilia sunt credenti. Annon omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à verbo, poterit utiqve dominari sui, ut dominetur non ei omnis justitia: ita inquam verbo innixum & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra, poterit vel stantem subicere, vel deprimere. Sed cuilibet statim apparet, quod Bernhardus hic cuncta non subiecto, sed verbo tribuat, adeoque neutiquam illa simpliciter ad perfectionem subiectorum referenda veniunt, quæ de divina verbi potentia, vel omnipotentia pronunciata sunt. Aliud est, loqui de verbi in re natis effectis, quæ citra dubium bona sunt, & mala prorsus esse nequeunt, cum verbum sit Spiritus & vita Joh. VI. 63. ipsa Dei potentia Rom. I. 16. Semen Dei, I Joh. III. 9. Semen incorruptibile, I. Pet. III. 23. quod semper & ubiqve, in omnibus, quoad omnia bonum operatur: sed aliud est loqui de nostris in verbo, vel per verbum factis vel operibus. Paulus ipse de se testatur, Rom. VII. 14. Scimus, quia lex spiritualis est: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non approbo. Non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed, quod odi, malum, illud facio. Sic etiam Dei Verbum perfectum est, & non nisi perfecte per se semper operatur, & operari potest: sed nos sumus imperfecti: Sic qualis causa, talis effectus, nimirum *ἐνεργίας* vel operationis. Nos imperfecti sumus, quamdiu versamur in hoc mortali corpore v. 24. & sic imperfectè pariter operamur: cum nullus effectus sua causa nobilior esse possit. Hinc etiam Flacius in Gloss. ad h. l. optimam addit restrictionem, inquam: Concludit (Paulus) se omnia posse, (NB) confirmante & regente ipsum Christo per SUUM VERBUM & SPIRITUM: quo has per quoque virtutes, earumque gloriam SOLI CHRISTO tribuat, ab ejusque gratia & plenitudine pendendum esse doceat. Addit postea: Generalis hæc sententia restringenda est ad ea, quæ nostræ vocationi & verbo Dei conveniunt.

LXXVI. Simul a frustra inferunt locum Johannis I. cap. III. 9. Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen

semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Nam distingvendum est inter impossibilitatem peccandi absolutam & hypotheticam; Non possunt peccare Renati scilicet ex hypothesi, quatenus, & quamdiu semen Dei in eis manet; Apostolo seipsum loco citato explicante. Semen autem Dei à variis variè declaratur, & consequenter ad varios errores applicatur. Nos ex Bibl. Illustrat. B. Dn. D. Calov. hæc notabimus: Semen Dei, scribit, nonnulli intelligunt de Spiritu Sanctorum nos regenerante, vel gratia Spiritus Sancti: Alii cum Oecumenio de Filio Dei: quidam de charitate Dei: plerique de Verbo Dei explicant, cum Clemente Alexandr. Augustis. Beda, Hugone, Glossa, quo tanquam semine incorruptibili renascimur, Luc. VIII. 11, I. Pet. I. 23. Jacob. I. 18. Non incommode tamen nonnulli de nativitate spirituali interpretantur, quæ, quatenus manet in filiis Dei, non peccant, quibus suffragatur Estius: Sed simplicior est illa de verbo Dei explicatio, cum regeneratio, vel nativitas ex Deo, & Semen, ex quo regeneramur, distingvantur. Non de Sanctorum perseverantia, ut volunt Calviniani, sed de efficacia Verbi, retrahentis nos à peccato, si id corde fideli foveatur, hæc agunt: nec hinc gratia permanenter inhærens animæ colligitur, quod Estius contendit. Nam semen Dei nusquam est gratia quædam habitualis, nobis infusa, & permanenter inhærens, quod precario asseritur ab Estio. Illud non potest peccare, non debet, ut August. lib. de Nat. & Grat. c. 14. & Orosius in Apol. neque est, non vult habituali voluntate, ut Oecumenius; nec, ut alii, non potest peccare, quatenus ex Deo est, vel qua parte renatus est. Sic enim ne venialiter quidem peccare potest, quod hic non intenditur: nec denique non potest, quia Electus à Deo deficere non potest ob gratiam absolutam & irremissibilem Dei, quemadmodum Calviniani contendunt: vel non potest peccare ita, quin semper in eo maneat semen illud, quo regeneratus est, quod perpetuo inesse volunt, licet interdum ad tempus supprimatur, ut vim suam non exferat, instar carbonis vivi sub cineribus sepulti. Qui sensus & in Joviniano olim, & ab Augustana Confessione, cujus societatem cupiunt Calvinistæ esse artic. XII. in Anabaptistis dam-

natus; & in Exeget. August. Confess. profligatus est dictis & exemplis luculentissimis. Quis ergo tandem sensus genuinus est? Illum explicat Hieronymus, l. c. contr. Jovinianum: Non potest peccare, quamdiu manet filius, vel ut *in ori* sit *quatenus* vel *quousque* natus est ex DEO; vel erit antea *ori*, quatenus, & quousque semen Dei in eo manet. Id enim ipsum indicat Apostolus, stare simul hæc duo non posse, *peccare*, & *esse Filium DEI*. Nam in eo est S. Johannes, ut discrimen filiorum DEI & Diaboli exponat. Ut filii Diaboli eo ipso, quo ex Diabolo sunt, peccant: ita filii DEI, quia ex DEO sunt, non peccant, & si peccent, desinunt esse Filii Dei. Cornel. à Lapide adductis sex interpretationibus, duas illas maxime genuinas videri, ait, quod non possit peccare graviter & mortaliter, in sensu non diviso, sed composito, quatenus scilicet ex DEO natus, & quamdiu nativitatem hanc, & semen gratiæ DEI, qua renatus est, conservat, ejusque ductum sequitur. Eam tribuit Oecomenio, Thomæ Anglico & Cajetano cum Hieronymo. Deinde in sensu formali, quantum scilicet est ex parte nativitatis Divinæ, si videlicet nativitatis & gratiæ Divinæ spectes: hæc enim si finitur agere & operari, nec ei resistat Liberum arbitrium, potens est, & efficax, ut excludat omne peccatum, ne cum eo possit consistere. Ita S. August. de Grat. Christi c. 21. Dicere vult Johannes, inquit B. Hunnius, renascentiam & peccandi propositum sic esse opposita, ut se mutuo ex necessitate tollant & destruant, & consistere in eodem homine simul, eodemque tempore minime queant. Proinde, qui ex Deo natus est, quatenus is est renatus, & quamdiu renatus permanet, peccatum certè non committit: peccatum scilicet contra conscientiam, & ex deliberato animi proposito, consilioque profectum. Imò non potest peccare, modo jam explicato, ut scilicet simul peccet, ac nihilominus renatus maneat. Quia potius, quam primum ex proposito sciens volensque peccat, confestim renatus esse desinit, h. e. amittit donum illud renascentiæ, fidem & gratiam Dei, suffocato semine verbi, excussoque Spiritu Sancto. Posse enim renatos Gratia Dei cursus excidere per peccata mortalia, seu regnantia ex Ezech. XVIII. I. Cor. IX. Rom, XI. aliisque pluribus locis e-

vi-

videns est &c. Ex his & aliis satis apertum, quod omnino aliud sit loqui de regeitis formaliter talibus, quatenus sunt renati, & de regeitis materialiter talibus, qui sunt renati; hi sunt ab Adamo, sed illi sunt à Christo: illi sunt à gratia, sed hi sunt à natura: illi sunt, novi, sed hi veteres homines: illi sunt restituti, hi sunt corrupti, illi sunt in Christo, hi sunt in mundo: illi sunt, in spiritu, sed hi sunt in carne: illi ratione vitæ spirituales, hi ratione carnalis vitæ considerantur: illi quoad spiritualem conditionem, hi quoad suam animale constitutionem spectantur 1. Cor. 2. 14. &c. Licet enim renati sunt vere renati, suas etiam habeant, in DEO vires spirituales, tamen hæ nec absolute sunt, neque perfectæ, neque totaliter tales, sed, juxta Paulum, Caro semper concupiscit adversus Spiritum Gal. 5. 17.

LXXVII. Superest igitur, ut in futura demum vita omnibus modis perficiamur in nobis, cum visuri sumus Deum à facie ad faciem, similes illi futuri, qui futurus est omnia in omnibus, 1. Cor. XIII. 12. 1. Johan. III. 2. Et certum est, quod vita futura tantum sit vita perfectionis, quia nostra perfectio suum ortum habebit ex visione Dei beatificia, & ex omnium restitutione, quæ fuerunt in Adamo vel amissa, vel deperdita, quia dies novissimus erit dies ἀποκαταστάσεων πάντων Acto 3. Misera, quæ mundi præsentis est, dicitur esse mera, quæ vel nihil, vel parum habet commercii cum mera εὐδαιμονία. Hic omnia sunt mundana vereque vana teste Eccles. 1. sed ibi cuncta manebunt divina, simulque vera, seu plana. Juxta Petrum de Aliaco in Speculo Considerat. part. 3. c. 11. non tantum duodecim privilegia beatorum futura sunt, videl. (1) Sanitas sine infirmitate (2) juvenus sine senectute (3) impassibilitas sine morte (4) pulchritudo sine deformitate (5) libertas sine servitute vel coactione (6) pax sine turbatione (7) securitas sine timore (8) satietas sine fastidio, vel esurie (9) abundantia sine indigentia (10) cognitio sine errore (11) gloria sine ignominia, vel dedecore (12) gaudium sine tristitia, vel dolore: sed longe plura, quibus annumeranda quoque perfectio tum in vita, tum in potentia, seu virtute, tum in energia vel opere, tum in obedientia respectu legis divinæ &c.

LXXVIII.

LXXVIII. Tunc erit plena iustitia, inquit Augustinus, quando plena Sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis Charitas. Tunc autem est plena charitas, quando videbimus eum sicuti est, neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem.

LXXIX. Ad quam perfectionem tendimus, & currimus, obliti eorum, quæ à tergo sunt, ad ea verò, quæ à fronte sunt enitentes; pro signo insequimur ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Currimus credentes & proficientes renovatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta charitas. Currimus credendo, sperando, desiderando, corpus castigando, eleemosynas dando, bonis, malisque ignoscendo, hilariter & ex toto corde faciendo, & currentium ut vires adjuventur, orando, & sic audiendo præcepta perfectionis curare non negligimus ad plenitudinem charitatis. Augustinus in lib. de perfect. iustitiæ.

Soli Deo Gloria.




05 A 454

ULB Halle

3


004 209 036




VD 77

84







I. N. 7.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De
**PERFECTIONE
JUSTITIÆ RE-
NATORUM.**

Quam
CONSENTIENTE SUMME REVERENDO THEOLO-
GORUM COLLEGIO
In illustri ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO
Doctoris Theologi Consummatissimi
VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLIS-
SIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DN. JOH. DEUTSCHMANNI,
SS. Theolog. Prof. Publ. celeberrimi, Alumnorum
Electoralium Ephori gravissimi &c.
DN. Patroni, Præceptoris, atq, Studiorum suorum
promotoris æternum devenerandi
publico placidoqve examini
submittit
WILHELMUS HENRICUS RODAZI,
Utino-Holsatus.
In Auditorio Majori ad d. Augusti A. M. DC. LXXXVII.

WITTENBERGÆ,
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.